Allacci, Leone: De Templis Graecorvm Recentioribvs , Ad Ioannem Morinum, De Narthece Ecclesiae Veteris, Ad Gasparem de Simeonibus, Nec Non De Graecorvm Hodie Qvorvndam Opinationibvs , Ad Paullum Zacchiam
Köln, 1645 Seite 175

egrediatur, egressus ipse, & canistrum, ad id præparatum, in quo varii generis fructus, & bellaria, & panes etiam candidissimi, & summa cum diligentia facti, repositi sunt, accipiens, in domum revertitur, & fausta domui & habitatoribus obmurmurans, per totam domum ter circumiens, illa abundanter effuseque spargit. Tradunt, hoc susurro, & rerum comestibilium profusione, per eum annum fausta domui omnia eventura. Id ubi ipse vidi, non sine risu dixi, melius cum illis futurum, si, quæ frustra projiciunt, præmansa deglutirent.

XXVI. Navigabamus Chio, abhinc annis triginta, Messanam. Maleam prospero vento prætervecti, post diutinam maris malaciam, sæva subito tempestate coorta, jactari cœpimus; quæ magis ac magis, vi ventorum adversa, exasperata, spem salutis omnem ademerat. Quare simul una omnes fluctuum vorticibus demersi, mortem expectabamus: dum mei ipsius me miseret, & navigationem, cum domi quiescere possem, accuso, video in ora navis navarchum, manu nescio quid signantem, linguaq; submurmurantẽ. Is in rebus maritimis exercitatissimus peritissimusq; habebatur. Accedo; quid agat, interrogo. Senex, licet nimis metuens male, hilari tamen vultu respondit: Funestæ undæ impetum frango, & signo crucis aliisque precibus excanto. Num inter tot occursantes illas undas funestam ipse nosceret, quæro. Sic est, ait; quamvis tot undis navis jactetur, nulla tamen eam, nisi nona, demerget. Et, cum pulsu acrius navis concussa, versaque in aliam partem, marinis aquis obruta, sub aqua subsisteret, nec tam cito, quemadmodum & alias, erumpendo expediretur: Hæc, ait, nona est; numerum cape. & voce orsus numerum computabat. Mirum sane fuit. Nona computabatur, eaque, tanquam validiore & periculosiore machina, navis fluctuabat, ut excidium palam minitaretur. Vndam ille tacito susurro, & signo Crucis, videbatur mitigare, ut malum averteret. Verba, quæ ipse dicebat, ipse non novi: neque enim operæ pretium duxi, secreta hominis disquirere. Vndas fere millies enumeravi, antequam tempestas quiesceret; & verum semper dictum senis expertus sum: nam semper una nona, navis, novo infortunio, in periculum versa est.

XXVII. Si gallina cecinerit, dirum sibi omen concinuisse asserunt; & ita avertunt. Paterfamilias, vel qui primas in domo obtinet,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/allacci1645/0194
gefördert durch die Gesellschaft der Freunde Universität Heidelberg e.V.